

hanc pœnam vel ad illam non tenetur. Quin imo stulte faceret, si quis se ipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi particularibus pœnis.... Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem et præbere occasionem peccandi. » Idem docet in *Suppl.*, q. 3, a. 1.

Ex dictis *colliges* : 1° quod, si confessarius deprehendat pœnitentis matrimonium esse nullum, quod tamen ipse pœnitens credit invincibiliter esse validum, si prudenter existimet pœnitentem monitum non discessurum ab uxore putativa, vel si discedat, secutura gravia inconvenientia et scandala, puta odia et rixas diuturnas, incontinentiam, honestæ familiæ aut prolium diffamationem seu derelictionem, et similia, debet tacere et relinquere pœnitentem in bona fide. Quod si agatur de matrimonio contrahendo, attendendum est ad irreverentiam sacramenti, et ad mala quæ nata sunt sequi ex matrimonio invalido, si pœnitens non moneatur; et hæc conferenda sunt cum inconvenientibus quæ prævidentur secutura, si moneatur, et quod minus videbitur est eligendum, monendo vel tacendo. Regulariter, dum agitur de actu futuro, re adhuc integra manente, minora mala sequuntur, si moneatur, quam si non moneatur; unde regulariter in hoc casu est monendus pœnitens. Ex his casibus, alios similes resolve.

Colliges 2° confessarium teneri monere pœnitentem quem videt laborare conscientia erronea contra se, scilicet arbitrantem esse peccatum quod non est, vel esse mortale quod est tantum veniale. V. g., plebeius putat se teneri sub mortali adesse vespers diebus dominicis et festis, aut se non posse bibere ad refrigerationem in die jejunii; religiosus aut monialis credit se sub mortali adstringi silentio aut jejunio regulari; uxor reputat plura mortalia in usu matrimonii, quæ sunt tantum venialia: in his, inquam, et similibus, confessarius debet monere pœnitentem; quia, ut dictum est, tamquam doctor debet illum instruere, et tamquam medicus præcavere ejus peccata formalia, maxime cum non sequatur inconveniens quod præponderet inconvenienti quod sequitur, si non monea-

tur. Quod enim inde pœnitens forte facilius et frequentius peccet venialiter, est longe minus inconveniens, quam si semel tantum peccet mortaliter ex conscientia erronea.

ARTICULUS V

De conscientia scrupulosa,

PER VARIAS QUÆSTIUNCULAS.

Quæritur 1° quid sit scrupulus. Quid conscientia scrupulosa.

Resp. Scrupulus dicitur metaphorice a scrupulo, qui est lapillus asper subintrans calceum incedentis, et ipsum non tam lædens quam molestans, gressumque remorans. Unde scrupulus nihil est aliud quam levis et inanis quædam ratiuncula occurrens de malitia actionis, cujus solutio non invenitur, et inde animus vel opinatur, vel suspicatur, vel dubitat, vel timet cum anxietate, ne mala sit actio. Potest esse vel de præterito, ut si quis ex futuri ratione timeat ne aliquod peccatum aut circumstantiam omiserit in confessione, ne tentationi consenserit, etc.; vel de præsentis aut futuro, ut si quis ex simili motivo timeat ne id quod facit, aut facturus est, sit peccatum.

Duplex distingui potest conscientia scrupulosa, ut jam dixi art. 4: Una ex scrupulis formata, et est dictamen rationis practicæ, quo quis propter leves et inanes rationes judicat id quod agit esse illicitum, vel de eo dubitat. Hæc conscientia improprie dicitur scrupulosa, sed est vel erronea vel dubia, et de ea hic non agimus: quatenus enim pertinet ad errorem, dictum est in præcedentibus articulis; quatenus pertinet ad dubium, dicitur articulo sequenti. Altera est scrupulis agitata et cruciata, dum scilicet quis judicat id quod agit esse licitum, levibus tamen de causis timet et anxiatur ne sit illicitum. Unde, ut patet, quatenus scrupulosa, non est proprie conscientia, sed umbra et similitudo conscientiæ. Nomine igitur cons-

scientiæ scrupulosæ intelligitur communiter, vel ille scrupulus qui est quasi dictamen intellectus scrupulosi, vel ipsa anxietas causata ex scrupulis, vel dispositio animæ propensæ ad scrupulos. De conscientia scrupulosa sic sumpta intelligenda sunt sequentia.

Quæritur 2° quibus indiciis possit cognosci conscientia scrupulosa.

Resp. His potissimum: 1° Si reputet peccata quæ passim a sapientibus et timoratis pro nihilo habentur, aut circa ea sæpe dubitet et alios interroget. 2° Si vero prudenti et docto, v. g., prælato aut confessario actionem esse licitam asserenti, aut fidem non habeat, aut cum anxio timore morem gerat, iterum atque iterum eundem aut alios consultans, nemini fidens et maximam semper quærens securitatem. 3° Si in confessione ita adamussim peccata explicet, ut nullam circumstantiam, etsi levem aut levissimam, imo quandoque impertinentem omittat, idem sæpe repetens et inculcans, nec confessario monenti sufficere acquiescens, aut circa confessiones morali diligentia factas nunquam quiescat, easdem sæpe ex toto vel ex parte repetens. 4° Si preces præscriptas, sive breviarii, sive pœnitentiæ, sive voti, sive in celebratione missæ, fastidiosa tarditate recitet, eas frequenter repetens et subsistens ut intentionem et attentionem revocet. Præter hæc, potest et debet ipse scrupulosus se scrupulosum agnoscere, et talem se gerere potissimum ex testimonio sui confessarii aut alterius viri probi et docti, cui perspecta est ejus conscientia, judicantis ipsum esse scrupulosum.

Quæritur 3° utrum liceat agere contra conscientiam scrupulosam.

Resp. Non solum licet, sed et expedit, imo obligatorium est agere contra conscientiam scrupulosam, quam diximus scrupulis vexatam.

Ratio primæ partis est, quia conscientia hujusmodi scrupulosa non est, ut dixi, vera conscientia, sed umbra conscientiæ; nec judicium, sed quædam anxietas et timor male fundatus, seu imaginatio fortis qua homo misere vexatur.

Ratio secundæ et tertiæ partis est, quia conscientia scrupulosa est quædam animi ægritudo pacem turbans, devotionem tollens, acediam gignens, et maxima remora in progressu vitæ spiritualis, imo dispositio ad gravissima peccata desperationis, blasphemiæ et infidelitatis. Cavendum tamen ne scrupulosus, vi scrupulorum victus, revera practice judicet se male agere, aut de eo practice dubitet; tunc enim foret conscientia dubia aut erronea, contra quam non licet agere. Sed non est facile credendum scrupuloso asserenti se egisse cum dubio; ordinarie enim sumit dubium pro anxietate aut formidine, seu pro dubio speculativo, quod non est conscientia.

Quæritur 4° quæ sint præcipuæ causæ scrupulorum.

Resp. quasdam esse intrinsecas, quasdam extrinsecas. Intrinsecæ sunt: Prima, complexio naturalis suspicans et meticulosa, qualis est plerumque melancholica. Secunda, imbecillitas et inconstantia animi non inhærentis firmiter rebus semel determinatis, aut principiis practicis sufficienter notis: ex quo capite mulieres sunt frequentius scrupulosæ quam viri. Tertia, ignorantia qua quis non potest inter licitum et illicitum, tentationem et consensum discernere; vel talis ingenii subtilitas, quæ sit sufficiens ad excogitandas rationes dubitandi, et insufficientis ad eas solvendas. Quarta, occulta superbia, qua quis nimium suo iudicio fidens, nullius consilio vult acquiescere. Quinta, nimis austeritates quibus, debilitato capite, facile turbatur animus.

Causæ extrinsecæ præcipuæ sunt: Prima, societas scrupulosorum, directio confessarii scrupulosi, aut lectio casuum conscientiæ in eo qui est minus intelligens ad discernendum. Secunda, dæmon, qui hac arte tentat avertere homines ab exercitio virtutum. Tertia, ipse Deus ita permittens, vel in pœnam peccatorum præteritorum, vel ad exercitium humilitatis et patientiæ, vel ad teporem in suo servitio excutiendum, vel ob alios fines sibi notos.

Quæritur 5° quibus remediis curandi sint scrupulosi.

Resp. 1°. Generaliter loquendo, causæ scrupulorum amovendæ sunt per suum contrarium; contraria enim con-

trariis curantur. Hinc melancholicus ope medici sanetur; meticulosus frequenti meditatione contempletur bonitatem Dei, eumque apprehendat, non ut magistrum durum, aut exactorem immitem, sed ut bonum Patrem; superbus suæ prudentiæ non innitatur, et sic de cæteris. 2º Frequenti et humili oratione ad Deum, afflictorum consolatorem, recurrat; animi sui molestias cum patientia et submissa resignatione ei offerat in satisfactionem peccatorum, filialem interim fiduciam concipiens auxilii aliquando obtinendi et redituræ post tempestatem tranquillitatis. 3º Vitam et sensum communem timoratorum pro regula habeat, pro certo tenens Deum non permittere hos communiter errare. 4º Caveat otium et vagas cogitationes, præsertim de actis vitæ præteritæ, quæ scrupulis januam aperiunt; sed labori sedulo incumbat, eique maxime qui plus animum juvat et delectat, modo nihil habeat mali. 5º At remedium communi judicio apprime necessarium, et forte unicum, sanando scrupuloso, est cæca et absoluta obedientia dictis, consiliis, præceptis viri prudentis et sapientis, cui perspecta est ejus conscientia, puta confessarii aut directoris.

Queritur 6º quomodo confessarius agere debeat cum scrupuloso.

Resp. 1º Ubi confessarius deprehenderit suum pœnitentem esse scrupulosum (id autem cognoscere poterit ex indiciis assignatis), moneat ipsum quod sit scrupulosus et secundum regulas scrupulosorum curandus, ne forte, contemnendo scrupulos, ipsam conscientiam contemnat.

2º Inculcet ipsi necessitatem obedientiæ cæcæ et absolutæ omnibus dictis et præceptis sui confessarii, contempto proprio judicio et neglectis scrupulis; quam obedientiam si non sit animo dispositus præstare, aut ad eam conari, dimittendus est tamquam insanabilis, cum, ut dixi, vix alio remedio possit sanari. Ut autem hanc omnimodam et cæcam obedientiam suadeat, ipsi proponat: 1º quod scrupulosus, cum habeat judicium turbatum et imaginationem læsam, non possit proprio judicio regi,

illique præ cæteris ideo dictum sit, *Prov.*, III, 5: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, cum sis sapiens apud teipsum.* 2º Quod sit superbi animi, atque contra regulas prudentiæ et humilitatis, præferre suum judicium, præsertim sic turbatum, judicio directoris. 3º Quod, etsi erret director, ipse scrupulosus non peccabit obediendo, juxta unanimem SS. et magistrorum spiritualium doctrinam; quia faciet quod tutius est et quod Deus ab eo exigit.

3º Ipsum doceat leges positivas, sive divinas, sive humanas, non obligare cum gravi dispendio et magna difficultate quæ dicitur impotentia moralis; magna autem anxietas et molestia est magna difficultas. Hinc scrupulosus qui continuo angitur in recitatione horarum, semperque timet ne aliquid omiserit, aut voluntarie fuerit distractus, prohibeat repetere; imo, si esset ita scrupulosus, ut vix foret finis repetendi, indeque graves et continuas molestias pateretur, omnino foret ipsi interdicensa brevissimi recitatio, tamquam moraliter impossibilis.

4º Jubeat ipsum nihil sive actum sive agendum reputare mortale, nisi quod ipsi certo constet esse mortale, et ita certo, ut possit jurare esse mortale; quia in dubio, ut fert regula juris, « ex communiter contingentibus est prudens præsumptio. » Cum ergo scrupulosus soleat dubitare aut imaginari esse peccata, aut esse mortalia quæ non sunt, jure præsumitur in dubio non esse talia. Aliunde, cum de evidentissimis dubitet, et ibi suspicetur malum ubi nec est umbra mali, foret onus intolerabile, si deberet habere practice pro peccato quod ipsi sub dubium cadit.

5º Quando scrupulosus anxius est circa confessiones præteritas, an sufficienter fuerit contritus, an omnia peccata et omnes circumstantias confessus fuerit, nusquam permittat illi eas repetere, nisi hæc duo simul concurrant: primum, quod certus sit esse mortalia; secundum, quod pariter certus sit non fuisse debite confessa. Similiter non permittat peccata præsentia dubia confiteri, sed tantum certa, et simpliciter, cum circumstantiis absolute necessariis, ipsumque moneat ne instituat examen anxium et

omnino exactum, sed medioere tantum : et quando non habet nisi peccata dubia, jubeat inauditum celebrare, seu ad sacram synaxim accedere. Ratio horum est, quia lex positiva de integritate materiali confessionis non obligat cum gravi dispendio, ut dicebamus supra de legibus positivis in communi. Grave autem foret dispendium et damnum scrupulosi, si omnia dubia, sive præsentia, sive præterita, deberet confiteri; nullus foret scrupulorum finis, sed inde magis multiplicarentur et implicarentur, sicque foret anxietas perpetua et cruciatus intolerabilis; unde, si quædam peccata omittat, id ipsi non imputatur.

Tandem, pro coronide, meminerit confessarius in suis resolutionibus non vacillare, quasi dubitans aut opinans tantum, sed certo definiat et præcipiat; alioquin non sedabitur anxietas, sed magis augebitur. Insuper cum meticulo in spiritu lenitatis procedat, cum superbis duriuscule; non tamen in desperationem adigat, sed oleum cum vino misceat.

Quæritur 7º quomodo sit respondendum objectionibus scrupulorum.

Ut enim consiliis et præceptis confessariorum se subducant scrupulosi, dicunt : 1º quod confessarius non satis omnia intellexerit; 2º quod ipsi se melius agnoscant, quam quisvis alius; 3º si essem in periculo mortis, nollem sic agere et in eo statu mori; 4º in dubiis partem tutiorem esse eligendam, et certum incerto præponendum.

Ad primum respondendum, quod vir prudens non agat cæce et inconsulto, et quod si non intellexisset sufficienter confessarius, hoc vel illud non præciperet. Insuper, dato quod erret confessarius, nunquam scrupuloso confessarii mandatis humiliter obsequenti Deus imputabit errorem.

Ad secundum responde, scrupulorum conscientiam, qua parte sunt scrupulosi, debilem esse et erroneam, adeoque ipsius judicio non standum, juxta illud *Prov.*, III, 5 : *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

Ad tertium responde, quod scrupulosi multa facerent in

articulo mortis, quæ non sunt necessaria, sed inutilia, vel certe quod acquiescerent consilio vi prudentis.

Ad quartum responde, non debere scrupulosis remanere dubium, ubi accedit autoritas et mandatum confessarii in unam partem, idque eos habere debere certum et tutum quod ipsis suadet aut præcipit.

ARTICULUS VI

Utrum liceat agere cum conscientia dubia, probabili, aut probabiliori?

Nota 1º. Triplex distinguitur dubium : speculativum, speculativo-practicum et practice-practicum. Mere speculativum est illud quod versatur circa naturam, substantiam, valorem, qualitatem et conditionem rerum sive speculabilem sive moralium : ut si dubites, an natura angelica sit universalis, an baptisma collatum in aqua rosacea sit validum. Speculativo-practicum est illud quod versatur circa bonitatem vel malitiam, licitatem vel illicitatem actus secundum se et in communi, quæ bonitas aut malitia dicitur objectiva et materialis : ut si dubites, an sit licitum baptizare in aqua rosacea, iter agere die festo, etc. Practice-practicum est illud quod versatur circa bonitatem vel malitiam, licitatem vel illicitatem actus hic et nunc ponendi, attentis omnibus circumstantiis, quæ dicitur bonitas vel malitia formalis : ut si dubites, an tibi sit licitum hic et nunc baptizare in aqua rosacea infantem morientem.

Quod dixi de dubio, dicendum est de judicio, scilicet esse triplex : mere speculativum, de natura aut qualitate rerum ; speculativo-practicum, de bonitate vel malitia objectiva actionum ; et practice-practicum, de bonitate vel malitia formali actionum.

Ut dubium seu judicium quod dicimus speculativo-practicum, sit tale, debet respicere actionem secundum se quidem, sed tamen ut exercendam, seu in ordine ad

praxim, et in eam influere, quatenus ex illo formetur dubium seu iudicium practice-practicum: alioquin erit pure speculativum. In solo autem dubio seu iudicio practice-practico sita est conscientia dubia vel probabilis.

Nota 2^o dubium iterum distingui in negativum et positivum. Negativum est, cum nullæ sunt aut admodum leves rationes pro aut contra, et ut jam notavi, est improprie dubium, et melius dicitur nescientia aut ignorantia. Unde errant qui hoc solum dubium ut proprie dubium agnoscunt. Dubium positivum est, quando propter rationes contrarias, utrimque æque vel fere æque probabiles, fluctuat inter utramque partem suspensus animus, neutri assentiens.

Nota 3^o. Certitudo quæ opponitur dubio, triplex distingui potest: metaphysica, physica et moralis. Certitudo metaphysica est adhæsiō mentis veritati quæ etiam per Deum aliter esse non potest, ut: Totum est majus sua parte; quodlibet est vel non est. Certitudo physica est assensus veritati quæ secundum leges ordinarias aliter esse non potest, licet possit esse aliter per miraculum, ut stupam injectam in ignem comburi. Certitudo moralis est assensus veritati alicui sine formidine fundata et rationabili de opposito, licet oppositum absolute et sine miraculo esse possit, qualis est ea quæ habetur in jure per duos testes fide dignos, aut quæ habetur de baptismo alicujus ex regesto baptismali; quia, licet posset contingere quod duo testes qui habentur fide digni falsum deponant, et quod parochus falsum scripserit, id tamen raro accidit, et est periculum remotum, quod prudenter timeri non debet: alias non esset dubiorum finis. Hæ observationes currunt per varias partes Theologiæ, unde semel pro semper positæ, firmiter sunt memoria retinendæ.

Dico: Nunquam est licitum agere cum conscientia dubia, probabilis aut probabiliori proprie sumpta¹, scilicet

1. Id intelligendum est, supposito quod, conscientia nondum formata saltem per principia reflexa, dubium practice-practicum perseveret; nam semper verum est, non licere agere nisi cum certitudine

pro dubio aut iudicio probabili vel probabiliori practice-practico de bonitate vel malitia formali actionis, sed sola conscientia certa moraliter est regula actionum nostrarum. Est certa et communis, etiam apud probabilistas.

Probatur. 1^o Conscientia est regula immediata actionum nostrarum. Atqui regula debet esse certa et infallibilis, saltem moraliter: alias non proponeretur ut regula, sed foret regulanda. Ergo.

2^o Qui agit cum conscientia dubia, probabilis aut probabiliori tantum, non agit prudenter. Ergo peccat. — Probatur ant. Ut quis agat prudenter, nullam habere debet formidinem rationabilem et fundatam de inhonestate formali sui actus; actus enim prudentiæ est semper practice verus et moraliter certus. Atqui qui agit cum conscientia dubia aut tantum probabili et probabiliori de honestate formali sui actus, habet formidinem rationabilem et fundatam de inhonestate formali sui actus, quia istæ conscientiæ non exeunt finibus probabilitatis seu opinionis, de cujus ratione est quod sit cum formidine rationabili et fundata de opposito, et alioquin, si non esset formido rationabilis et fundata, jam esset certitudo moralis. — Confirmatur. Qui sumit potum de quo dubitat an sit venenatus, aut quem probabiliter et probabilius tantum credit non esse venenatum, dum habet alium non venenatum, imprudenter agit. Ergo similiter.

3^o Qui facit id quod rationabiliter suspicatur offendere Deum, hoc ipso ipsum offendit, et ejus amicitiam contemnit; sicut qui faceret id quod rationabiliter suspicatur offendere amicum, hoc ipso ipsum offenderet et ejus amicitiam contemneret. Atqui qui agit cum conscientia dubia, probabilis aut probabiliori tantum, facit id quod rationabiliter suspicatur offendere Deum. Ergo.

[*Queritur* quid agendum sit in casu conscientie per-

moralis de bonitate actus, et hæc sola certitudo actui confert honestatem formalem, quidquid sit de bonitate hujus actus objective seu materialiter sumpti.

plexæ, id est, quando quis inter duo præcepta constitutus, quorum unum impleri non potest quin alterum omitatur, hæret dubius quodnam e duobus anteferre debeat, et credit se peccaturum alterutrum prætermittendo.

Resp. 1° Si perplexus possit actionem suspendere, teneatur illam differre, donec consuluerit confessarium suum vel alium virum peritum et prudentem, ex cujus sententia conscientia ejus formetur.

2° Si non possit consulere et adsit necessitas agendi, quia actio sine gravi damno suspendi nequit, tunc minus malum tenetur eligere, vitando potius transgressionem juris naturalis quam juris positivi divini aut humani; nam lex inferioris ordinis semper debet legi ordinis superioris cedere. Supponitur tamen eum, a præcepto minoris ponderis recedendo, non malum intendere, sed magis ita agere, ut malum vitet.

3° Si utrumque præceptum æque grave ipsi videatur, vel non discernat quidnam sit minus malum, quamlibet partem eligat, non peccabit, quia in hoc casu deest libertas requisita ad peccandum formaliter, et aliunde nunquam datur peccandi necessitas. — Ita S. Lig., lib. I, tract. 1, n. 10, et Gury, n. 43.]

DISSERTATIO VI

DE OPINIONUM PROBABILITATE ET DELECTU

Resolvimus dissert. præcedenti, ex communi sententia, non esse licitum agere cum conscientia dubia, probabiliter aut probabiliori, sed solum conscientiam moraliter certam esse regulam actionum nostrarum. Nunc quærimus utrum in opinione seu judicio speculativo-practico, probabiliter aut probabiliori de honestate objectiva et materiali actionis possit fundari mediate, mediantibus scilicet principiis reflexis, conscientia moraliter certa de honestate formali et subjectiva actionis; consequenter utrum liceat

sequi opinionem probabilem aut probabiliorē de honestate objectiva actus.

ARTICULUS I

Utrum sit licitum sequi opinionem minus probabilem et minus tutam, in concursu probabilioris et tutioris?

Opinio probabilis est mentis assensus uni parti propter motivum idoneum suadens ejus veritatem, fallibile tamen, et ideo cum formidine partis oppositæ. Et hinc eo major vel minor probabilitas est, quo motivum est magis vel minus idoneum et grave.

Motivum seu fundamentum probabilitatis est duplex, intrinsecum et extrinsecum, et ideo duplex probabilitas, intrinseca et extrinseca. Fundamentum intrinsecum sunt rationes petite ex ipsius rei natura, proprietatibus, causis, effectibus, et etiam ex inconvenientibus partis oppositæ. Fundamentum extrinsecum est autoritas doctorum qui hanc opinionem tenent aut tenuerunt; quæ tamen autoritas non movet nisi quatenus præsumuntur isti doctores hanc opinionem propter bonas rationes docere aut docuisse. Unde probabilitas extrinseca magis æstimanda est ex doctorum merito et eruditione, atque ex eorum studio et diligentia in re examinanda, quam ex eorum numero. Autoritatem unius junioris et moderni theologi non sufficere ad fundandam probabilitatem extrinsecam, constat ex hac propositione damnata ab Alexandro VII: « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constat rejecitam esse a Sede Apostolica ut improbabilem. »

Opinio probabilis potest considerari dupliciter, seorsim et comparative ad oppositam quæ sit æque, aut minus, aut magis probabilis, et secundum hanc ultimam considerationem procedit præsens quæstio. Non enim negamus quin opinio solide probabilis, seorsim considerata, si nihil appareat in contrarium, aut quod non sit eviden-